C

DE OPHIOGLOSSO▸ CAP▸ CCXVIII▸

NOMINA.

ὀφιόγλωσσον cur dicta.

HERBA hæc appositissima uoce græcè ὀφιόγλωσσον appellari potest, non quod sic eam ueteres aut recentiores greci nominauerint, sed quod cum germanica nomenclatura optimè quadret. Necp enim certò constat an Græcis, & sub quo nomine herba illa cognita fuerit. Quapropter ut nouam ei inderemus appellationē necessum erat: meliorem uerò hac ipsa quam retulimus, inuenire haud potuimus. Latinè Ophiogloſſum, aut lingua serpentina dici potest: germanicè enim Naterzünglin uocatur, à forma & figura quam refert. E singulis nanque folijs singulari pediculo prodit, quod ligulam serpentis forma sua referre uidetur, ut pictura affabrè monstrat.

Lingua serpentina.

FORMA.

Folium unicū obtinet pingue, digiti longitudine, Plantagini aquaticæ uocatæ haud dissimile, è cuius sinu inferiore pediculus exit, cui quippiam herbacei coloris insidet, quod serpentinæ linguæ uocati lapilli similitudinē refert.

LOCVS.

Copiosè in monte prope Tubingā Austriaco nominato prouenit. Amat & alia prata in montanis sita.

TEMPVS.

Maio mense reperitur, subinde autem euanescit, ac nusquam apparet.

TEMPERAMENTVM.

Citra caliditatem insignem exiccat, id quod gustus satis docet.

VIRES.

Vulneraria est herba, maligna siquidē & curatu difficilia uulnera sanat. Tumores etiam discutit, & ferè Symphyti facultates obtinet.

D

DE XANTHIO▸ CAP▸ CCXIX▸

NOMINA.

Lappa inuersa.

Xanthion unde dictum.

XANTHION, ἢ φάσγανον græcè, Xanthium latinè nominatūr. Ab herbarijs nostræ tempestatis Lappa minor & Lappa inuersa uocatur. Germanicè Bettlersleuß / oder Bübenleuß. Xanthion dictum, quod ξανθὰς, hoc est, flauos capillos faciat.

FORMA.

Caulem habet cubitalem, pinguem, angulosum, & in ipso alas multas. Folia Atriplici similia, incisuras habentia, odore Nasturtij. Fructū rotundū ceu grandem oliuam, aculeatum ut Platani pila, contactu uestibus adhærentē. Ex qua quidem deliniatione nemo non uidet herbam cuius picturā damus esse Xanthion, quod illi omnes notæ ad amussim respondeant. Caule enim est cubitali, pingui, angulosо, crebras fundente alas, folijs Atriplicis incisuras habentibus, Nasturtium manifestissimè olentibus, fructu magnæ oliuæ modo rotundo, ut Platani pila spinoso, contactu uestes apprehendente. Nucleus qui in echinata pilula clauditur à pueris estur dulci & grato cibo.

LOCVS.

Nascitur lætis & pinguibus locis, & lacubus paludibus ue exiccatis.

TEMPVS.

Fructus Autumno matureſcit, quo sanè tempore colligi debet.

TEMPERAMENTVM.

Cum discutiendi uires habeat, facilè colligitur temperamento esse calido & sicco præditum, id quod ex sapore etiam, qui est amarus & subacris, deprehendi potest.

VIRES.

XANTHIVM